

quantum ad destruendas facilius, temporalis nostra dominatione oppressa, institutiones omnes Ecclesiae, ad everendam Sanctae Sedis auctoritatem, ad vicariam Christi potestatem, quam, licet immerentes, gerimus in terris, omnino labefactandam». Et Leo XIII subiunxit: « Non regni ambitu, ut saepius ediximus, non dominandi cupiditate permoti, Romani Pontifices, quoties civilem hunc principatum turbari et violari senserunt, apostolici muneris esse putarunt sacra Romanae Ecclesiae iura sarta tecta servare et pro viribus tueri: Nosque ipsi, Praecessorum Nostrorum exempla secuti, haec eadem iura asserere et vindicare non praetermisimus, nec unquam praetermittemus »¹. Quapropter, nos, Patres huius Plenarii Concilii Latino-Americani, necessitatem, iustitiam et inviolabilitatem principatus civilis Romani Pontificis solemniter agnoscentes, iteratasque Pii IX et Leonis XIII protestationes contra sacrilegam occupationem Status Pontificii prae oculis habentes, reprobamus et damnamus temeritatem illorum qui dicunt: « De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii: abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conducet »².

CAPUT IX.

De Societate domestica.

74. Societas domestica, cuius auctor et rector Deus est, a quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur³, nostris hisce temporibus misere pertur-

¹ Leo XIII. Oratio *Ingeniti* ad ephemer. script., 22 Febr. 1879.

² Syllab. prop. 75. 76.

³ Ephes. v. 15.

bata, in suam dignitatem restitui nullo modo potest, nisi iis legibus, quibus Ecclesia ab ipsomet divino Auctore est instituta¹. Quod et ipsi civitati plurimum interest.

75. Et re quidem vera, initia reipublicae familia complectitur, magnaue ex parte aliter intra domesticos parietes fortuna civitatum. Idcirco qui has divellere ab institutis christianis volunt, consilia a stirpe exorsi, corrumpere societatem domesticam maturant. A quo eos scelere nec cogitatio deterret, id quidem nequaquam fieri sine summa parentum iniuria posse: natura enim parentes habent ius suum instituendi, quos procreant, hoc adiuncto officio, ut cum fine, cuius gratia sobolem Dei beneficio susceperunt, ipsa educatio conveniat et doctrina puerilis².

76. Matrimonium, cuius vinculum indissolubile est atque perpetuum, quodque fundamentum est domestici convictus, a Christo Domino ad dignitatem sacramenti elevatum, institutum est, non modo ad propagandum genus humanum, sed ad ingenerandam Ecclesiae sobolem, *cives sanctorum et domesticos Dei* (Eph. II. 19); ut nimirum *populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur* (Cat. Rom. c. VIII, n. 15). Vir est familiae princeps, et caput mulieris; quae tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus eius, subiiciatur oportet pareatque viro, in morem non ancillae, sed sociae: ut scilicet obedientiae praestitae nec honestas nec dignitas absit³.

77. Filii autem subesse et obtemperare parentibus hisque honorem adhibere propter conscientiam debent; et vicissim in liberis tuendis atque ad virtutem potis-

¹ Leo XIII. Encycl. *Inscrutabili*, 21 April. 1878.

² Leo XIII. Encycl. *Sapientiae christianae*, 10 Ian. 1890.

³ Leo XIII. Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880.

simum informandis omnes parentum curas cogitationesque evigilare necesse est. Christus igitur, cum ad talem ac tantam excellentiam matrimonia renovavisset, totam ipsorum disciplinam Ecclesiae credidit et commendavit ¹.

78. Patriae atque herilis potestatis ita Ecclesia rationem moderatur, ut ad filios ac famulos in officio continendos valeat, nec tamen praeter modum excreseat. Secundum namque catholica documenta, in parentes et dominos coelestis Patris ac Domini dimanat auctoritas, quae idcirco ab ipso non solum originem ac vim sumit, sed etiam naturam et indolem necesse est mutuetur. Servis ac dominis per Apostolum proponitur divinum praeceptum, ut illi quidem obediant *dominis carnalibus sicut Christo... cum bona voluntate servientes sicut Domino*; isti autem *remittant minas, scientes, quia omnium Dominus est in caelis, et personarum acceptio non est apud eum* (Eph. VI. 5-9) ².

CAPUT X.

De Societate civili.

79. Insitum homini natura est, ut in civili societate vivat: is enim necessarium vitae cultum et apparatus, itemque ingenii atque animi perfectionem cum in solitudine adipisci non possit, provisum divinitus est, ut ad coniunctionem congregationemque hominum nasceretur, cum domesticam tum etiam civilem, quae supeditare *vitae sufficientiam perfectam* sola potest ³.

¹ Leo XIII. Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880.

² Leo XIII. Encycl. *Quod Apostolici*, 28 Dec. 1878.

³ Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.

80. Quoniam vero non potest societas ulla consistere, nisi aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem, qua regatur: quae non secus ac societas, a natura, proptereaque a Deo ipso oriatur auctore. Ex quo illud consequitur, potestatem publicam per se ipsam non esse nisi a Deo ¹.

81. Ius autem imperii per se non est cum illa reipublicae forma necessario copulatum: aliam sibi vel aliam assumere recte potest, modo utilitatis bonique communis reapse efficientem. Sed in quolibet genere reipublicae omnino principes debent summum mundi gubernatorem Deum intueri, eumque sibi metipsis in administranda civitate tamquam exemplum legemque proponere. Quod si, qui praesunt, delabantur in dominatum iniustum, si importunitate superbiave peccaverint, si male populo consuluerint, sciant sibi rationem aliquando Deo esse reddendam, idque tanto severius, quanto vel sanctiore in munere versati sint, vel gradum dignitatis altiore obtinuerint. *Potentes potenter tormenta patientur* (Sap. VI. 7) ².

82. Civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abicere, aut adsciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat. Sanctum igitur oportet apud principes esse Dei Nomen; ponendumque in praecipuis illorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quidpiam instituere aut decernere, quod sit eius incolumitati contrarium.

¹ Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.

² Ibid.

Id et civibus debent, quibus praesunt. Civilem igitur societatem communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illo atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes, quascumque possit, opportunitates afferat. Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolataeque servandae, cuius officia hominem Deo coniungunt ¹.

83. Igitur indifferentismus civilis perabsurdum est deliramentum et pessima machinatio contra vel ipsam civilem conditionem. Curam enim de religione publice adhibere nullam, et in rebus civicis ordinandis, gerendis, Deum nihilo magis respicere, quam si omnino non esset, temeritas est ipsis ethnicis inaudita; quorum in animo sensuque erat sic penitus affixa, non solum opinio deorum, sed religionis publicae necessitas, ut inveniri urbem facilius sine solo, quam sine Deo posse arbitrantur. Igitur quemadmodum singuli pie Deum sancteque colere ipsa naturae voce admonemur, propterea quod vitam et bona, quae comitantur vitam, a Deo accepimus, sic eandem ob causam populi et civitates. Idcirco qui solutam omni religionis officio civilem communitatem volunt, perspicuum est non iniuste solum, sed etiam indocte absurdeque facere ².

84. Principum autem et subditorum animi, mutuis officii et iuribus, secundum catholicam doctrinam ac praecepta, ita devinciuntur, ut et imperandi temperetur libido, et obedientiae ratio facilis, firma et nobilissima efficiatur. Sane Ecclesia subiectae multitudini Apostolicum praeceptum iugiter inculcat: *Non est potestas*

¹ Leo XIII. Encycl. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.

² Leo XIII. Encycl. *Humanum genus*, 20 Apr. 1884.

nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Atque iterum necessitate subditos esse iubet non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; et omnibus debita reddere, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem (1. Rom. XIII). Siquidem qui creavit et gubernat omnia, provida sua sapientia disposuit, ut infima per media, media per summa, ad suos quaeque fines perveniant ¹.

85. Igitur, in rebus non iniustis parendum eis esse, qui praesunt, conservandi causa ordinis, in quo est publicae fundamentum incolumitatis, nemo dubitat: nec tamen est consequens, obtemperando approbari, si quidquam est aut in constitutione aut in administratione civitatis non iustum ².

86. Una illa hominibus causa est non parendi, si quid ab iis postuletur quod cum naturali aut divino iure aperte repugnet: omnia enim in quibus naturae lex vel Dei voluntas violatur, aequae nefas est impedire et facere. Neque est cur abiecissee obedientiam, qui ita se gerant, arguantur; etenim, si principum voluntas cum Dei pugnat voluntate et legibus, ipsi potestatis suae modum excedunt, iustitiamque pervertunt: neque eorum tunc valere potest auctoritas, quae, ubi iustitia non est, nulla est ³.

87. Sciant fideles omnes illud etiam publicae salutis interesse, ad rerum urbanarum administrationem conferre sapienter operam: in eaque studere maxime et efficere, ut adolescentibus ad religionem, ad probos

¹ Leo XIII. Encycl. *Quod Apostolici*, 28 Decemb. 1878.

² Leo XIII. Epist. *Perlectae a Nobis*, 28 Oct. 1880.

³ Leo XIII. Encycl. *Diuturnum*, 20 Jun. 1881.

mores informandis ea ratione, qua aequum est christianis, publice consultum sit: quibus ex rebus magnopere pendet singularum salus civitatum. Item catholicorum hominum operam ex hoc tamquam angustiore campo longius excurrere, ipsamque summam rempublicam complecti, generatim utile est atque honestum. Quamobrem perspicuum est, ad rempublicam adeundi causam esse iustam catholicis: non enim adeunt, neque adire debent ob eam causam, ut probent quod est hoc tempore in rerum publicarum rationibus non honestum; sed ut has ipsas rationes, quoad fieri potest, in bonum publicum transferant sincerum atque verum, destinatum animo habentes sapientiam virtutemque catholicae religionis, tamquam saluberrimum succum ac sanguinem in omnes reipublicae venas inducere¹.

88. Ex hac autem Ecclesiae doctrina de societate civili id « omnino intelligi necesse est, ortum publicae potestatis a Deo ipso, non a multitudine repeti oportere: seditionum licentiam cum ratione pugnare: officia religionis nullo loco numerare, vel uno modo esse in disparibus generibus affectos, nefas esse privatis hominibus, nefas civitatibus: immoderatam sentiendi sensusque palam iactandi potestatem non esse in civium iuribus neque in rebus gratia patrocinioque dignis ulla ratione ponendam »².

CAPUT XI.

De Ecclesia et Statu.

89. Deus humani generis procuracionem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem,

¹ Leo XIII. *Encycl. Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.

² *Ibid.*

alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos quibus contineatur terminos, eosque sua cuiusque natura causaque proxima definitos. Alteri proxime maximeque propositum est rerum mortalium curare commoda, alteri coelestia ac sempiterna bona comparare. Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae: caetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum Iesus Christus iusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei, Deo¹.

90. Inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio: quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Igitur voluit Christus, ut in iis rebus quae sint, diversa licet ratione, communis iuris et iudicii, altera, cui sunt humana tradita, opportune et congruenter ab altera penderet, cui sunt coelestia concedita. Huiusmodi autem compositione ac fere harmonia, non solum utriusque potestatis optima ratio continetur, sed etiam opportunissimus atque efficacissimus modus iuvandi hominum genus in eo quod pertinet ad actionem vitae et ad spem salutis sempiternae².

91. Porro ex enunciatis principiis haud difficulter dignosci possunt errores, qui nostra aetate civitates ex fallaciis et machinationibus sectariorum perturbare

¹ Leo XIII. *Encycl. Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.

² Leo XIII. *Encycl. Arcanum*, 10 Febr. 1880.

solent. Igitur genuinam Ecclesiae doctrinam circa hanc materiam retinentes, caveant fideles et ex animo reiiciant praetensiones illorum, qui dicunt: Ecclesiasticam potestatem suam auctoritatem exercere non debere absque civilis gubernii venia et assensu; Episcopis, sine Gubernii venia, fas non esse vel ipsas Apostolicas litteras promulgare; gratias a Romano Pontifice concessas existimari debere tamquam irritas, nisi per Gubernium fuerint imploratae; civili potestati, vel ab infideli imperante exercitae, competere potestatem indirectam negativam in sacra; eidem proinde competere nedum ius quod vocant *exequatur*, sed etiam ius *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*; in conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevalere ¹.

92. Laica potestas non habet per se ius praesentandi Episcopos; obedire tenetur Romano Pontifici in iis quae episcopatum et Episcoporum respiciunt institutionem ²; et sine sacrilegio non potest ecclesiasticae potestatis exercitium impedire, aut onera super ecclesias et clericos inconsulta Sancta Sede imponere.

93. Similiter non audiendi sunt, dicentes: Civilem auctoritatem posse se immiscere rebus, quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent; posse de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt; posse impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent ³.

94. Sanctissima Ecclesiae iura violant, qui contendunt Ecclesiam non solum non debere in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debere

¹ Syllab. prop. 20. 28. 29. 41. 42.

² Ibid. prop. 50. 51.

³ Ibid. prop. 44. 49.

ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere, ut ipsa se corrigat: item qui dicunt non pertinere unice ad ecclesiasticam iurisdictionis potestatem proprio ac nativo iure dirigere theologiarum rerum doctrinam; totum scholarum publicarum regimen, in quibus inventus christianae alicuius Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, posse ac debere attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuiusque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum; immo in ipsis clericorum seminariis methodum studiorum adhibendam civili auctoritati subici ¹.

95. A veritate etiam ac iustitia aberrant, qui affirmant Gubernium posse suo iure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicare, ut neminem sine suo permisso ad solemnia vota nuncupanda admittant; sive qui dicunt abrogandas esse leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent ².

96. Denique omnino aberrant dicentes supremos civitatum moderatores ab Ecclesiae iurisdictione eximi; et Ecclesiam a Statu, Statumque ab Ecclesia seiungendum esse ³.

¹ Syllab. prop. 11. 33. 45. 46.

² Ibid. prop. 52. 53.

³ Ibid. prop. 54. 55.